



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE*BONUM MIHI****VENERABILI DEI SERVO IOANNI ADALBERTO BALICKI**

BEATORUM HONORES DECERNUNTUR. Ad perpetuam rei memoriam. — «Bonum mihi quia humiliatus sum, ut discam iustificationes tuas» (*Ps* 119, 71). His verbis Venerabilis Dei Servus Ioannes Adalbertus Balicki suam sacerdotalis vitae rationem exprimebat nec non erga Dei voluntatem oboedientiam. Haec Psalmi sententia singularis eius precatio facta est eumque totam per vitam duxit. His verbis cotidianas initiabat meditationes, sibi continue repetens oportere semper humilem esse, sui ipsius oblivisci atque Dei quaerere voluntatem. Ioannes Balicki, qui *eximia excelluit humilitate*, die XXV mensis Ianuarii anno MDCCCLXIX in loco *Staromieście*, hodie intra Resoviae fines, est ortus. Sequenti die, in ritu Baptismatis, duplex accepit nomen, Ioannem Adalbertum. Apud familiam vere christianam infantiam iuventutemque transegit, exemplum diligenter accipiens tum a honestis devotisque parentibus tum a praeclaris magistris et educatoribus Resoviae. Mense Septembri anno MDCCCLXXXVIII Seminarium Premisliense est ingressus ut, sub optimis sacerdotibus, professoribus et spiritalis vitae moderatoribus, ad Sacerdotium quattuor per annos diligenter se praepararet. Presbyteratus ordine die XX mensis Iulii anno MDCCCXCII exornatus, statim pastorale inchoavit ministerium in paroecia v.d. «Polna» optimum se demonstrans praedicatorem, diligentem confessarium et orationi deditum. Quattuor deinde annos Romae apud Pontificiam Studiorum Universitatem Gregorianam studiose disciplinam theologiam inquisivit diligenterque in spiritali progressus est vita. In Poloniam anno MDCCCXCVII reversus, munia quaedam pastoralia obivit atque officium theologiae dogmaticae praeceptoris in Seminario dioecetano Premisliensi. Exercendis in muneribus praefecti, vices gerentis rectoris nec non rectoris Seminarii peculiarem ostendit humilitatem, continuam Dei voluntatis inquisitionem spiritalemque altitudinem. Annis MCMXXXIV-MCMXXXIX navitati pastoralis se dedito administrationi praesertim Paenitentiae sacramenti et spirituum moderamini. Singularem eminuit dono animos humanos perscrutandi, difficultates paenitentium intellegendi atque iusta consilia illis praebendi. Permovebatur magna Dei et proximi caritate quam diligenter Eucharistica pietate nec non continua alebat oratione. Sobrius in loquendo, attente et libenti animo aliorum verba exaudiebat. Mense Februario anno MCMXLVIII grave peripneumonia et tuberculosi est correptus. In valetudinarium receptus, die XV mensis Martii anno MCMXLVIII pie in Domino obdormivit. Sanctimoniae fama crescente post eius obitum, anno MCMLIX Processus beatificationis et canonizationis ab Episcopo Premisliensi est inchoatus et anno MCMLXIII conclusus. Omnibus de iure diligenter expletis, Nos die V mensis Decembris anno MCMXCIV declaravimus hunc Venerabilem Dei Servum virtutes theologales et cardinales iisque adnexas heroum in modum

exercuisc. Nobis adstantibus, die V mensis Iulii anno MMII decretum super miraculo prodiit quod eiusdem Venerabilis Dei Servi intercessionem est adsignatum. Statuimus igitur ut beatificationis ritus, occasione data itineris Nostri pastoralis, die XVIII mensis Augusti anno MMII Cracoviae perageretur. Hodie igitur inter Missarum sollemnia hanc protulimus formulam: *Spełniając życzenie naszych braci Józefa Kardynała Glempa, Arcybiskupa Metropolity Warszawskiego, Józefa Michalika, Arcybiskupa Metropolity Przemyskiego, Franciszka Kardynała Macharskiego, Arcybiskupa Metropolity Krakowskiego i Stanisława Gądeckiego, Arcybiskupa Metropolity Pozańskiego jak również wielu innych braci w biskupstwie oraz licznych wiernych, za radą Kongregacji Spraw Kanonizacyjnych, naszą Władzę Apostolską zezwalamy, aby odtąd Czcigodnym Sługom Bożym: Zygmuntowi Szczęsnemu Felińskiemu, Janowi Balickiemu, Janowi Beyzymowi oraz Sancji Szymkowiak przysługiwał tytuł błogosławionych, i aby ich święta obchodzono w miejscach i w sposób określony przez Prawo. Dla Zygmunta Szczęsnego Felińskiego będzie to corocznie 17 września, dla Jana Balickiego 24 października, dla Jana Beyzyma 12 października, a dla Sancji Szymkowiak 18 sierpnia. W imię Ojca i Syna, i Ducha Świętego.* Clarus ille sacerdos per diligentem ostendit spiritalem progressum, Christi eiusque Ecclesiae dilectionem atque Redemptorem hominum in angustiis etiam variisque in difficultatibus fideliter est secutus. A quo ad altiore in cotidiana vita imitationem Salvatoris incitatur adque sanctitatem et proprii status perfectionem prosequendam invitatur. Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus. *Datum Cracoviae, sub anulo Piscatoris, die XVIII mensis Augusti, anno MMII, Pontificatus Nostri quarto et vicesimo. De mandato Summi Pontificis*
ANGELUS card. SODANO

Secretarius

Status

*A.A.S., vol. XCVI (2004), n. 2, pp. 90-92 © Copyright 2002 - Libreria Editrice Vaticana
